

DISQUISITIO LOGICA
De
BONITATE
CIRCULI APO-
DICTICI,

Quam
DEO ET SUPERIORIBUS FAVENTIBUS
PRIMAM

PRO LOCO

In

Incluta FACULTATE PHILOSOPHICA
obtinendo,

Benevolo Eruditorum examini
ad diem Augusti XI.

MDC LXXIII.

scripsit

M. PAULUS ANTONIUS,
Zittaviâ Lusatus.

LIPSIÆ,
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

Coll. diss. A
3, 3

a. III. 3.

he L.

V I R O

*Plurimum Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo*

**DOMINO OTTONI
MENCKENIO,**

**SS. Theologiæ Licentiato, Moralium
Professori publico longe celeberrimo, Facultatis Philo-
sophicæ Assessori, ut & Minoris Principp. Collegii
Collegiato & p. t. Præposito gravissimo, Vi-
ro de Rep. literariâ benè meren-
tissimo,**

*PATRONO, PRÆCEPTORI ATQVE HOSPITI
suo benignissimo*

PRÆSENTEM DISQVIGATIONEM

qualecunque gratæ mentis specimen editurus



D. D. D.

AUCTOR,



B. C. D.

THESIS I.



Votusquisque unquam Philosophi nomen atque dignitatem, ceu par est, tueri voluit: cavendum sibi a principii petitione facile perspexit, nec Sophistam vel idem ex eodem, vel obscurum ex æquè obscuro probantem sine virgula dimittere potuit. Quàm exclamat Diogenianus contra Chryssippi fraudes, fatum Stoicum ex divinatione, divinationemque ex fato stabilientis: Ποῖ δ' ἂν μοχθηρότερον τὸ πῶς ἀποδείξῃς τὰτα ἤ ποιο; Neque censuram effugiet illud Tullii 3. Offic. Non est contra naturam spoliare Tyrannum, quem honestum est necare. Qvis etiam cum Auctoribus quibusdam dicat, Regem Galliae ex naturæ privilegio sanare strumas, quoniam oleo Remensi sit inunctus? Scilicet esset hoc nihil aliud quàm tenebras tenebris illustrare velle.

II. Igitur cum vitiosa hæc philosophandi ratio à plurimis *circuli* nomen acceperit: mirum non est, circulis quibuscunque idem fatum, ab utentium culpa, in multorum Scholis contigisse, quod Tyranni vocabulo. Ego enim, quod solam ecy mi rationem attinet, nihil vitii vel malignitatis pervideo, quin potius si operatio Mathematici per circulum non est illaudabilis, Logico quoque ad circuli cujuslibet vocem vix exhorrescendum esse puto. Nam quotquot id argumentandi genus sic denominant, ex Aristotele denominant, qui tantum non omnes Organi angulos Geometrarum, Arithmeti-
corum &c. conceptibus implevit, ut nemo diligentius *Kromayero* ostendit in *Proæmio partis secundæ Polymath. p. 213.*

III. Imo neque usus, qui alterum cognoscendæ significationis medium est, obstat, quo minus certæ circulorum classi honestius nomen relinqvatur. Stant à nobis α Aristoteles, β Hopfnerus, γ Gretserus, δ Kromayerus, ε Schoockius, ζ Renaldinus, η Zeidlerus. Sed juvat B. Rappolti verba integra transcribere ex ejusdem Dispu-

tatione de Testimonio Spiritus S. interno Lips. 1676. die 2. Novembr.
 habitâ § 3. Quis est, qui ignorat, si modo Philosophia purpurâ tinctus
 est, quòd non omnis circulus statim sit vitiosus? &c. Equidem per nos
 alii sequantur vel interpretes quosdam Aristotelicos, vel θ Zabarel-
 lam, vel ι Fr. Turretinum, atque per circulum simpliciter intelligant
 Sophisma illud deterrimum: nihil tamen peccatum fuisse arbitra-
 mur, quando Dissertatiunculam nostram de Bonitate Circuli
 apodictici inscripsimus.

α I. Prior. III. 2. Prior. V. I. Poster. XIII. β ad Organon p. 414. sq. γ Dann-
 hauer. in Idea Sophistæ p. 189. δ in Apparatu Theol. p. 335. ϵ in
 Sophisticâ Zvickero-Socinianâ Diatribâ VI. p. 186. 188. ζ Diss.
 Dialect. 27. f. 568. η in Analytic. p. 381. θ I. de Regressu. ι de
 Circulo Pontificio §. 3. & 4.

IV. Prænotandum verò est, nos hic adeo sollicitos non esse de
 formâ circulari seu cyclicâ, quæ quidem sine ratione multis difficul-
 tibus involuta est: modo fundamentum sciatur. Est hoc Terminor-
 um Syllogismum talem constituentium exacta æqualitas & recipro-
 catio, uti me docuit MS. $\lambda\omicron\mu\omega\alpha\sigma\mu\acute{\alpha}\tau\iota\omicron\nu$ Logicum Dn. L. Heshusii de
 Potentiis Syllogisticis c. 2. §. 3. quod adeo verum est, ut quancquam cir-
 culus perfectus 6. Syllogismis constans in solo primæ Figuræ primo
 modo bArbArA conficitur, tamen ne in bArbArA quidem semper
 is obtineat ob raram terminorum paritatem. Oportet enim in cir-
 culo alteram propositionem converti simpliciter, ut altera ex ea &
 conclusione colligatur v. gr. in Syllogismis hisce.

O. homo est animal bAr O. planta attrahit nutrimentum.

O. femina est homo E. bA O. arbor est planta E.

O. femina est animal rA O. arbor attrahit nutrimentum.

frustra circulos captabis. Cui volupe est divisiones ac cautelas nosse,
 item exempla ac Schematismos orbiculares inspicere, evolutis Zaba-
 rellâ in l. 1. Poster. Analyt. f. 31. Vogelii Organo resolutio p. 94. Piccarto in
 Synops. p. 511. sq. Hopfnero in Organ. p. 414. Kromayero in Polym. p.
 336. &c. desiderium suum explebit.

V. Rem ipsam attingimus, & ut à capite ordiamur, Circulus
 legitimus est per terminos reciprocos mutua alius ex alio conclu-
 sio. Seu ubi a præmissis ad conclusionem & vice versa ab hac ad
 præmissas, diversâ tamen viâ atque notitiâ, & intercedente examine
 progredimur.

VI.

VI. Ac proinde maximum bonitatis argumentum. sumitur
 EX MATERIA, quam oportet constare terminis nexu necessario co-
 hærentibus. Docent idipsum clarissimi Stagiritæ textus: ἐν μόνοις
 NB. τοῖς ἀντιθέτοις, κύκλω καὶ δι' ἀλλήλων ἐνδέχεται γίνεσθαι τὰς
 ἀποδείξεις. 2. Prior. V. ἂν τὸ διωκτὸν, πλὴν ἑπὶ τῶν, ὅσα NB. ἀλ-
 λήλοις ἔπεται. 1. Post. III. ἐνδέχεται τὸ εἶναι, εἴπερ ἔποντο ἀλλήλοις
 τὸ μέσον καὶ οἱ ἄκροι. ἐν γὰρ τῶν τὸ ἀντιθέτον εἶναι--ὅτι ἀντιθέτοι
 τα συμπεράσματα, τὸ ἢ κύκλω τὸ εἶναι. 2. Post. XIII.

VII. Porro cum demonstratio sequatur naturam rei; rerum ve-
 rò nonnullarum generatio circularis existat; quis prohibeat Logi-
 cum, in demonstrandis rebus invicem commutantibus operari quoque
 per circulum. Non possum non exscribere, quæ Philosophus ipse hanc
 in rem urgere deprehenditur 2. Post. XIII. ἐπεὶ ὁρῶμεν ἐν τοῖς γινόμε-
 νοις, κύκλω ἢ γένεσιν εἶναι, ἐνδέχεται τὸ εἶναι, εἴπερ ἔποντο ἀλ-
 λήλοις τὸ μέσον καὶ οἱ ἄκροι &c. κύκλω ἢ φαίνεται NB. ἑπὶ τῶν
 ἔργων. Illustrat dilucide exemplo naturali: Postquam terra imbre
 madefacta est, inde necesse est nasci vapores; ex vaporibus oritur nu-
 bes, mox autem nube resoluta imbrem effundi necesse est: ex quo
 rursus madefieri terram consequitur. Id autem est, unde sumptum
 erat exordium. Rectissime verò *D. Melchior Zeidlerus* confert locum,
 l. 1. Meteor. c. X. nec doctrinæ hujus cupidum pœnitebit exquisitas
 Regiomontani hujus Philosophi meditationes super hanc Aristotelis
 rationem perlegere l. 2. Analytic. c. XIV p. 294. 295. præsertim si Pa-
 cium *ad text. f. 528. in Comm. f. 215. Piccartum in Synops. p. 701. 702.*
Wichelmannum de Demonstr. §. 31. p. 33. Renaldinum Tom. 1. Opp. Phi-
losoph. f. 689. contulerit.

VIII. Nobis ita præmunitis nunc licebit circulum distribuere
 in Demonstrativum atque Topicum, quæ oppositio est non ad vim
 vel τρόπον probandi, sed saltim ad sedem & τόπον doctrinæ. Unde
 enim, ut cum CL. WEISIO meo loquar, meliores demonstrationes
 procedunt, quàm e Loco Definitionis & Causarum? at istos simul nu-
 meramus in Topicis Logic. part. 2. l. 2. c. 9. p. 90. Nec tamen ideo metu-
 endum, discrimen, quod Syllogismo analytico cum Topico intercedit,
 tolli. Cum B. enim *Kromayero* Polymath. Theol. p. 358. distingvimus in-
 ter notiones secundas, ex quibus procedit Topicus, & inter primas, ex
 quibus procedit analyticus; quod ipsum alio loco deducemus uberius.

IX. Cæterum maxime prodest scrutari rationem Circuli De-

monstrativi s. Apodictici, qui in Analyticis traditur, & communiter nec immerito * REGRESSUS κατ' ἐξοχὴν (ἐπίνοδος) audit, voce ab Interpretibus Aristotelicis, Themistio, Averroë &c. acceptâ, testibus Zabarellâ *de Regressu* f. 195. & Neldelio *in opusculis posthumis* pag. 161. Ubi sciendum, quomodo intelligi velint aut debeant Auctores illi, quoties dicunt, circulum vitiosum vocari petitionem ejus, quod est in principio: circulum bonum salutarè regressum demonstrativum. Nimirum minus deflexere mentem ad Circulum ex Topicis canonicis resultantem, qui non minus tandem ad idem punctum remeat atque redit. Nolo ad Balforem provocare, qui non dubitavit circulum definire per regressum, ut genus p. 534. in Org.

* Regressus nomine minus digna est Soritæ Platonici atque Aristotelici comparatio a Joh. Caramuele observata l. 2. *Logicæ moralis* fol. 235. edit. Viglevani 1680.

Sorites Platonicus est hic:

5. Omnis homo est animal.
4. Omne animal est sensitivum.
3. Omne sensitivum est vegetativum.
2. Omne vegetativum est corpus.
1. Omne corpus est substantia.
6. E. Omnis homo est substantia.

Si invertas ordinem, & sequaris numeros quos præmissis adfixi, habebis Soritem Aristotelicum

1. Omne corpus est substantia.
2. Omne vegetativum est corpus.
3. Omne sensitivum est vegetativum.
4. Omne animal est sensitivum.
5. Omnis homo est animal.
6. E. omnis homo est substantia.

Nam translocantur modo præmissæ & ad eandem tendunt conclusionem, quod ipsum in omnibus Soritis procedit.

X. Definitur Circulus APODICTICUS, qui ex effectu nobis notiore causam primum confuse ostendit, tandem post examen justum causâ distinctè cognita effectum quoque distinctè demonstrat. Vel si mavis descriptionem * Hopfnero-Heshusianam; Est Demonstrationis τῆ ὄλη & τῆ διότι reciprocatio, duplici progressu constans, quorum uno ex effectu nobis notiore, causâ nobis ignotior: altero ex causâ naturâ notiore effectus naturâ ignotior demonstratur.

* Hopfner, in *Organ* p. 436. sq. Heshus, in cit. *ἀποδοκίμασι* c. 1. §. 8.

XI. Fun-

XI. Fundamentum iterum est ἀλληλεγκλίαι subjecti & prædicati, ut neutrius extensio alterius extensionem excedat. Causa enim & effectus sunt ἀντικατηγορήματα. Sicut posito effectu ponitur causa, & posita causâ ponitur effectus: ita negato effectu negatur causa, negata causâ negatur effectus. Item qualis effectus, talis causa: qualis causa, talis effectus.

XII. Penſa vel partes operationis istius cyclicæ rectè tres censentur esse ab omnibus, qui doctrinam hanc curatius inquisiverunt. Prima est Demonstratio ἔστι, quâ ex effectûs cognitione confusâ ducimur in confusam cognitionem causæ. Secunda est examen intermedium, quo ex confusâ notitiâ causæ distinctam ejusdem cognitionem acquiritur. Tertia est demonstratio τῆ διότι, quâ ex causa distincte cognita ad distinctam effectûs cognitionem tandem perducimur.

Zabarella l. de Regressu c. V, 40. f. 198. Neldelius Synopf. Anal. p. 161. Zeidlerus in Analyt. l. 2. p. 332.

XIII. Prima pars sequitur vires operantis, qui citius, QVOD res sit, ac QUID sit, explorare potest. Demonstrandum enim est ex prioribus & notioribus, sed, ut verbotenus sequar Philosophum i. Post. II. dicuntur priora & notiora duobus modis. Ut enim alia sunt priora φύσις, alia καθ' ἡμᾶς: ita plurimum differunt, quæ per se notiora, & quæ nobis notiora sunt. Ac nobis quidem priora & notiora appello τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, quæ nostris sensibus magis objecta sunt. Simpliciter autem ac per se τὰ πρῶτερον τῆς αἰσθήσεως, quæ remotiora sunt a sensibus. Hujus generis sunt maximè τὰ καθόλου universalia: illius sunt τὰ καθ' ἕκαστα res singulæ. Igitur quàm absurdum est ex arena velle funiculumnectere: tam imperite statim ab universalibus ubique fit initium. Necessè est, ut prius τὸ ὅτι ex particularibus sensu perceptis scias. Hanc enim ipsam Methodum necessitate inevitabili satis laudatam præscribit Aristoteles i. Physic. I, 2. πέφυκεν ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἢ ὁδὸς καὶ σαφεσέρων, ὅτι τὰ σαφέστερα τῆ φύσει καὶ γνωριμώτερα. Οὐ γὰρ ταῦτα ἡμῖν τε γνωριμα καὶ ἀπλῶς. Διόπερ NB. ἀνάγκη τρόπον τῆτον NB. παράγειν ἐκ τῶν ἀσαφεσέρων μὲν τῆ φύσις, ἡμῖν ἢ σαφεσέρων, ὅτι τὰ σαφέστερα τῆ φύσις καὶ γνωριμώτερα. &c. Quem textum perpendens Carolus Renaldinus vehementer, & nimis fere Diff. 27. Dialecticâ f. 567. defendit, Demonstrationem ὅτι, tanquam fontem τῆς ἔστι διότι. Ejusdem tenoris est discursus, i. Post. X. κωλύει εἶδέν, τῶν ἀντικατηγορημένων γνωριμώ-

επιώτερον είναι τὸ μὴ αἴτιον. ὡς' ἔσται διὰ τῆς ἢ ἀποδείξεως. Confer & sis c. XVI. lib. 2. Post. ubi de causa ex effectu arguenda disseritur.

XIV. Secunda pars Regressus vocabatur EXAMEN INTERMEDIUM. Progressus enim primus non nisi incompletam, etiam quoad effectum, acquirit notitiam, quia mens hominis nullatenus potest acquiescere. Effectus enim sine causa perfecte cognosci nequit. Unde probe observandus est Magnifici D. Scherzeri stylus in *Manuali* p. 175: Regressus Logicus est, cum ex uno, TANQVAM causa, deducimus aliud TANQVAM effectum & vice versa. Eundem fere in modum loquitur Dn. Zeidlerus in *Analyt.* p. 294: Quod prius erat causa, & docebat aliquem effectum, mox mutata ratione fiat effectus, & doceatur per effectum, tanquam per causam &c. *coll.* p. 381. Ergo intercedat aliqua ἀνάγκησις, ἐξέτασις, atque intellectus negotiatio, quæque alia nomina laboris hujus extant apud Renaldinum T. 1. *Opp. Philosoph.* fol. 688. & 693. Hanc causam utcumque cognitam cum suis quasi effectibus comparamus, donec ad plenam causæ scientiam feliciter devehimur. Nam, quod acutè dixit Synesius in *Dione* f. 47. Πιστήμη ἐστὶν ἡ διεξοδία. Confer sis, quæ *Epist.* 130. f. 266. in rem nostram tradit. Aliquando contingit, ut scrupulosa penetratione opus non sint: at tamen partes hæ tres si non tempore, saltem natura distinguuntur, distinguente sic Zabarellà c. 1. f. 200. & in pluribus sat necessarium est morari secum, ac Logistici instar calculum vel δοκιμασίαν iterare, usque dum gutta sæpius illisa cavet lapidem, h. e. verbis Zeidleri c. 1. p. 382. paulatim ducamur ad inveniendam naturam & conditionem illius rei, utque una inventa conditione inveniatur & alia, donec tandem perspectis & cognitis omnibus conditionibus intelligatur, hanc esse illius rei causam. Qua in re tantum non ubique procedi solet ἐπακλικῶς inductionis beneficio, quæ demonstrationis per effectum administra est, juxta Neldelium in *opusculis posthumis* p. 161.

XV. Tunc prodit in conspectum Demonstratio perfecta τὴν διότι, quæ ex causa distinctè cognita regreditur ad demonstrationem effectus simplicem. Hæc edit foetum, quem concepit pars prima, lambendoque formavit secunda; hæc ingreditur hospitium, ut Domina, sed paratum prius a famulis. Prius sciebatur aliquid, sed sciri nesciebatur, nec dubito hujus generis circulum comparare suo modo cum actibus reflexis, ubi intellectus intelligit se intelligere. Εἰ ἡ νόησις περιφορεῖ, καὶ νῆς ἂν εἴη ὁ κύκλος, ἢ ἡ ἑαυτῆ περιφορεῖ νόησις, i. de Anima III, 48.

III, 48. quem textum de intellectus reflexione interpretatur Dan-
hauer. *Hodosoph. Phénom. XI. p. 136.*

XVI. Cur ergo Regressus, cujus fundamentum sibi constat, cu-
jus processus, atque partes bonæ sunt, vitio non careat? ut necessita-
tem materiæ præteream.

XVII. Sane exempla nescio an a quoquam desiderari possint, cum
nec esset Philosophia, nisi hæc in orbem collectio obtinuisset. Quam
enim verum est inductionem a sensibus incipientem primum initium
dedisse omnibus scientiis; tam verum est, Philosophos tandem fini-
visse in universalibus & post anxie inventa genera & species exquisitius
demonstravisse priora, quoniam *δεχῆ τῆς ἐπαγωγῆς, ἢ αἰσθητικῆς πύ-
ξος δὲ τὸ κατὰ τὸ 8.* Clemens 8. *Stromat. f. 558.* Interim ne qua obscuri-
tas alicui hæreat, unum atque alterum exemplum afferemus, præter
illa, quæ Autores afferunt thesi IV. commendati.

XVIII. Et primo quidem Mathematicos consulamus, quos hic opu-
lentos esse prodidit B. Hopfnerus *c. l. p. 438.* v. gr. Qui in duobus Tri-
angulis utrobique invenit æquales laterum angulos, in basibus sæpius-
cule comparatis eandem æqualitatem deprehendet, ac in quavis simi-
li consistentiâ argumentabitur beneficio inductionis:

In his Trigonis anguli equalibus lateribus contenti sunt æquales

E. necesse est, in his Trigonis etiam bases æquales esse.

Sed & postea connexionis ratione distinctius cognita rectè regreditur
ad antecedens:

In his Triangulis bases sunt æquales E.

& Anguli lateribus contenti.

Ita Euclides *Elemento* 1. illationes subordinat Propos. VI. & VIII. Conf.
Propositionem I. l. 18 & 19. 37 & 39. 38 & 40 46. Christophorus Cla-
vius id diligenter annotavit, etiam cum Euclides conversione absti-
nuit: præprimis, quando Propositionem V. & VI. primi Elementi * in-
vicem confert, ita Lectorem monet: *Non mirum alicui debet videri, si
Mathematici interdum convertunt Propositiones, ita ut nunc ex antece-
dente quopiam concessio colligant per demonstrationem consequens ali-
quod, nunc verò rursus ex consequente hoc concessio inferant per aliam
demonstrationem antecedens illud. - Necesse est, ut prius demonstret Geo-
metra Propositionem aliquam converti h. e. antecedens & consequens illius
reciprocari, antequam ex consequente concessio colligat antecedens p. 46.*

* Isoscelium triangulorum, qui ad basim sunt, anguli inter se sunt æquales,

B

& si

& si trianguli duo anguli æquales inter se fuerint, & sub æqualibus angulis subtensa latera æqualia inter se erunt.

XIX. Ita quæquam defectio Lunæ nunquam causa est, ut terra inter Solem & Lunam diametraliter interponatur, sed semper manet effectus interpositionis: attamen ab eclipsi ad interpositionem valet consequentia, & contra. Verum ut & Physica scrinia pervolvamus (nam nimis connexa sunt multa Mathematicorum antistropha axiomata), annon ipse Aristoteles *l. 1. Physic.* probat, dari materiam primam ex generatione, & vicissim in libb. de Generat. & Corrupt. causam perpetuæ generationis dicit esse naturam primæ materiæ. Dn. D. Scherzerus *Diff. de Conversione tb. 4.* aliud exemplum laudat ex *2. Post. c. 17.* ubi ex eo, quod folia arboris decidunt, infertur, esse ibi congelationem humoris, & vicissim ex congelatione sequi foliorum fluxum. Porro sine vitio concludis: *Lapis descendit naturaliter. E. gravis est. Lapis est gravis. E. descendit naturaliter. Dies est. E. Sol ortus est. Sol ortus est. E. dies est. Istud trahit ferrum. E. habet vim magneticam. Istud habet vim magneticam. E. trahit ferrum. Quicquid humo avulsum germinat, & caules profert, id germen est bulbaceum; & quicquid est germen bulbaceum, humo avulsum germinat, & caules profert.*

XX. Ex aliis disciplinis v. gr. *Hic conficit bonos Syllogismos E. est bonus Logicus*, & contra, cur multa consarcinari debeant, non video: nisi adhuc monendum, quod signa effectuum vera, rectè tanquam ipsi effectus, ad causæ notitiam perducant. Nam si vestigia, quæ lepus nivi aut arenæ impressit, videam, leporem ipsum adfuisse statim colligo. Notaque est de vulpe fabula, quæ ad Leonem propius accedere volebat, quod eam terrerent vestigia, ex animalibus multa conspicatam accessisse, rediisse nulla. Sed per me referant alii ejusmodi argumentationes ad Syllogismos didascalicos.

XXI. Superest, ut ex sacro codice hic circulus ostendatur. Nimirum ex *1. Joh. IV, 20, 21.* duas Propositiones formare licet, quarum prima procedit a notiori ad ignotius nobis: *Qui diligit proximum, intelligitur amare ipsum Deum* ex *v. 20.* Altera a notiori in se ad notius homini: *Qui diligit Deum, diligit etiam proximum* ex *v. 21.* Quandoquidem dicente Gregorio, amor Dei amorem proximi generat. Sic obscurum sæpe est, an hic vel ille sit ex Deo, cum tot sint sanctitatis larvæ: interim si deprehendas, hominem non audire Christum vel Apostolos in verbo Dei loquentes, per hoc cognosces Spiritum erroris, ut D. Johannes

hannes

hannes 1. Ep. IV, 6. testatur. Nam (quæ potissima est demonstratio,) qui novit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos. Adhuc clarius ipsa Sapientia cœlestis utrumque; processum combinat uno versiculo Joh. VIII, 47. sic argumentata: *Vos, Judæi, non auditis verbum Dei. E. non estis ex Deo. Non estis ex Deo. E. non auditis verbum Dei.* Siquidem qui ex Deo est, verbum Dei audit.

XXII. Ex ipsis Theologiæ Acroamaticæ penetralibus miracula prodeunt, tanquam ejusmodi sigilla doctrinæ, a quibus ceu a notitia veritatis confusa regressus fit ad notitiam distinctam s. habitum demonstrativum, verba Kromayeri sunt *Theol. positivo-polem. part. 1. p. 25. & Polymath. part. 2. c. 10. p. 386.* Item quis audeat Ecclesiæ potestatem testandi de Scriptura denegare, sed tamen Scriptura verius monstrat, quid sit ipsa Ecclesia. Imo Scriptura rectè lecta divinitatem suam ipsa per se, internaque sua criteria probat. Unde intelligitur, quid sibi velint nostri Dn. D. Scherzeri verba in *Syst. p. 5:* Scripturam ex Scripturâ probare non est circulus vitiosus, quia probatio non fit eodem modo. Ita sine vitioso circulo Deum ex Deo, Solem ex Sole, sensum ex sensu, rationem ex ratione, calorem ex calore, Aristotelem ex Aristotele probamus. Conf. iterum Krom. *Theol. p. 20.* & Rudrauffii *Theol. Philosoph. p. 30.* Notabilis est confessio Gregorii de Valentia: Fides præbet assensum revelationi, NB. ut revelatæ, non per aliam revelationem, sed NB. per se ipsam *T. 3. Dissp. p. 1. & 5.* Vide simul, quæ Tilmanno Plazhoviõ responderint fratres Walenburchii *T. 1. Opp. f. 303.*

XXIII. Sociniani etiam utre, quod dicunt, orthodoxos territant, quod non nisi vitioso circulo Filii divinitatem ex creatione, iterumque ex divinitate Filii, creationem cœli & terræ eidem tribuendam inferri posse clamant. Verbo enim Domini suffulta est Clementis Alexandrini in *Protreptic. f. 31.* regula: *Μόνος ὁ Θεὸς ἐποίησεν, ἐπεὶ καὶ μόνος ὄντως ἦν Θεός.* Et Paulus quidem duo hæc in Christi persona conjungit ex *Pl. CII, 26:* *Σὺ κατ' ἄξιας, NB. Κύριε, NB. τὴν γῆν ἐθεμελίωσας.* Adde quæ habet Hopfnerus in *Organ. p. 437.* & ante alios omnes Martinus Schoockius in *Sophistica Zwickero-Socinianâ diatribâ sextâ.*

XXIV. Cæterum videamus, an ista doctrina in præcedentibus aphorismis descripta atque stabilita, omnibus sese approbaverit. Sunt, qui displicuisse Aristoteli talem demonstrationem vicissitudinariam credunt. Igitur utut sola autoritate non percellamur, tamen cum supra passim ad Philosophum provocaverimus, respondere omnino tenemur. Ac

adeo dicimus primò, Aristotelem nullo modo potuisse omnem repu-
diare circulum, quia τὴν κύκλω δειξίω accenser potestatis Sylogisti-
cis, quæ non affectiones modò, sed & perfectiones Sylogismorum
salutantur, cum contra circulus vitiosus idem ex eodem eadem via pro-
bans apud ipsum primo inter Sylogisticas impotentias loco nume-
retur. Quod ipsum argumentum a B. Krom. in *Theol. Pos. - Polem.* p. 21.
indicari credo. Præterea Renaldinus urget, Aristotelem distingvere de-
monstrationem ὅτι & δισίς, quæ simul suscepta cyclicam probandi ra-
tionem constituit. Idem auctor ad praxin Philosophi hî rectè provocat.
Nam, inquit inter alia, ex sempiterno motu colligit immobile movens
quo cognito deinceps rationem reddit, quare motus perspectus ab
immobili motore fiat *diff. 28. Dial.* Confer omninò Paciî *Organ* p. 215.
& Zabarellam *de Regress.* f. 199, thesinque nostram XIX. repete, con-
iunctâ XXVII. sequenti.

XXV. Deinde illi, qui contrariam mentem Aristoteli affingunt, sco-
pum Philosophi minus attenderunt. Disputat contra istos, qui omnia,
prima etiã principia, in orbem demonstrare cum Empedocle Agri-
gentino volebant. Sic enim sonant ipsius Magistri verba: Κενόν τε καὶ
ἀδύνατον τὸ λέγειν ἐνδέχεται πάντων εἶναι τὴν ἐξ ἀλλήλων ἀπόδειξιν
I. Post. III. non sine subiancta ratione, ἐπειδὴ ὀλίγα ἀντικατηγορεύματα,
ut mirum non sit, Zeidlero in *Analyt.* id ipsum p. 294. observatum esse.
Alii Philoponî interpretationem secuti * rectè addunt, Aristotelem ne-
gare, quod in circulari probatione uterque progressus demonstrat sim-
pliciter. h. e. stylo ipsius, διότι. Admittit sane τρέπον ἕτερον, quod te-
xtum inspicientibus obscurum esse nequit.

* Zabarella in I. Post. f. 30. Joh. Neldel. in opusc. posthumis p. 160. Balforeus in
Organ. p. 534. Hopfii. *Org.* p. 180.

XXVI. Quâ occasione resolvitur gravissima adversæ partis Objectio,
dilemmatis specie induta: In priore processu vel notum nobis est, cau-
sam esse illius effectus causam, vel ignotum. Si notum, ergo prior pro-
cessus supervacaneus est (obiter ascribimus locum Renaldini, veterum
plerisque regressum negasse, vel saltim ut inutilem rejecisse *Opp. T. 1.*
f. 689) Si ignotum, ne priore quidem processu uti possumus, cum ma-
ior Propositio sit ignota (huc ex citato Renaldini loco illi veterum tra-
hendi, qui omnem circulum repudiarunt sive in diverso genere cau-
sæ s. eodem). Respondemus similiter: Dilemma aut loquitur de noti-
tiâ distinctâ, aut non. Si loquitur de notitia distinctâ, cum larvis decer-
tant. Nam eum notitiæ gradum ultimo demum processu acquiri fate-
mur.

mur. Si de notitiâ confusa loquuntur, fallunt atque falluntur. Nam prior processus fructu suo non caret, quia res adhuc imperfectius cognita est. Et scire, & nescire aliquid possumus, sive, ut textus clarissimus habet 1. Poster. 1. ἄδὲν καλύει, ὃ μανθάνει τις, ἔστιν ὡς ὀπίσσω, ἔστι δ' ὡς ἀγνοεῖν. Gemella occurrunt 2. Prior. XXI, 12. Scientiam intermediam qui negant, negare quoque omnem scientiam ac demonstrationem adiguntur. Aut enim omnia scimus, aut nihil. Si omnia, demonstratio est supervacanea. Si nihil, est impossibilis. Igitur prima cycli operatio neque inutilis neque impossibilis est, sed necessaria potius & possibilis. Equidem verum est omnem regressum fundari nexu terminorum necessario, sed tamen hoc de toto complexo unice intelligendum, nec opus est, nexum terminorum in limine statim pervideri.

XXVII. Si quis pergat, esse tamen Demonstrationem ὅτι effectus per causam, adeoque causam jam liquere, videbitur mihi perinde concludere, ac si dicat: *In Syllogismis hypotheticis conclusio est in premissis. E non dantur Syllogismi hypothetici.* Sed sicut ibi conclusio est in premissis obscure tantum & dubitative: sic causa in priori progressu nostro comparet quidem, sed obscure, non ut causa, sed ut prædicatum quoddam necessarium & inseparabile, non ut causa πρῶτον & seu in essendo, sed ut causa συμπέρασμα, & in cognoscendo tantum, distinguentibus sic Græcis interpretibus. V. G. Supi onantur ex 1. Post. X. duo isti circuli: (1.) *Planeta non micant. E. propius moventur a terra. Planeta propius moventur a terra. E. non micant.* (2) *Luna in rotundam formam semper accrescit. E. rotunda est. Luna rotunda est. E. in rotundam semper accrescit formam.* Ibi Philosophus monet (1) Planetas non prope esse διὰ τὸ μὴ σιλβεῖν, sed ideo non micare διὰ τὸ ἐγγύς εἶναι (2) Lunam non esse σφαιροειδῆ διὰ τὰς αὐξήσεις ποιαύτας, sed ita accrescere διὰ τὸ σφαιροειδὲς εἶναι. Vel si malis dicere, id quod in primo progressu demonstratur, causam dici per anticipationem, cum paulo post in regressu futura sit causa, non repugno.

XXVIII. Restant illi, qui idem sic per idem probari queruntur. Sed negamus ideo peccari, quia duo requiruntur potissimum in circulo Sophistico (1) ut ab eodem in idem fiat (2) ut per eandem viam fiat, idemque causæ genus, servato eodem notitiæ genere, & ut alii loquuntur, nulla nova cognitione terminorum comparata. Quam descriptionem amplecti Tannerum & Gretserum, homines Pontificios, testatur Turretinus §. 4. de Circulo Pontificio, ubi plura. Ex eodem fundamento

Galeno respondemus, qui l. 2. de Temper. c. 5. cit. Zaidlero in Anal. p. 380. ἐγὼ οὐκ ἐπαινῶ, scribit, τὰς ἀποδείξεις δι' ἀλλήλων καὶ ἐξ ἀλλήλων. Limitamus nimirum ex ipso Galeno ὡς ἤδη παρεγνωσμένων, concedimusque totum. Nam non nisi uniformis circulus, ceu Schoockius l. c. loquitur, arguitur. Ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὰ αὐτῶν αὐτῶν ἅμα πρότερον καὶ ὕστερον εἶναι, εἰ μὴ τὸν ἕτερον τρόπον &c. I. Poster. III.

XXIX. Audiendus adhuc est Sextus Empiricus, qui cum Scepticorum sese cœtui apertè addixerit, non potuit non generatim omnem demonstrationem mutuam ex hoc capite contemnere. Non puto grave B. L. futurum, si ipsa verba, prolixiora licet, exhibeam: ὁ διαλληλῶς τρόπος σωρίζεται, ὅταν τὸ ὀφείλον τῶν ζητημένων πράγματων εἶναι βεβαιωτικόν, χρεῖαν ἔχη τῆς ἐκ τῶν ζητημένων πίστεως. h. e. interprete H. Stephano? *Diallelus modus* (q. d. alternatorius) fit, cum id quod rem, de qua queritur, confirmare debemus, ipsum ab ea confirmari oportet. - Τὸ πρότερον ἢ τοὶ αἰσθητὸν εἶναι, ἢ νοητὸν. ὁποῖον δ' αὖ ἢ, διαπεφώνηται. οἱ μὲν γὰρ τὰ αἰσθητὰ μόνα φασὶν εἶναι ἀληθῆ; οἱ ἄλλοι, μόνα τὰ νοητὰ. οἱ ἄλλοι μὲν αἰσθητὰ, ἵνα δὲ νοητὰ. i. e. quod propositum est, aut sensibile est, aut intellectuale. *Utrumvis sit autem, de eo dissidentia est. Alii enim sola sensibilia dicunt esse vera, alii sola intellectualia, alii quaedam sensibilia, quaedam intellectualia.* Πότερον δὲ Ἰπικριτήν εἶναι φήσασιν τὴν διαφωνίαν, ἢ ἀνεπίκριτον; εἰ μὲν ἀνεπίκριτον, ἔχομεν ὅτι δεῖ ἐπέχειν. εἰ δὲ Ἰπικριτήν, πόθεν Ἰπικριθήσεται, πυνηνομεθα, οἷται τὸ αἰσθητὸν-πότερον ὑπὸ αἰσθητῶν, ἢ ὑπὸ νοητῶν; εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ αἰσθητῶν-καὶ ἐκείνο ἄλλως δεήσεται πρὸς πίσιν. εἰ δὲ καὶ ἐκείνο αἰσθητὸν εἶναι, πάλιν καὶ αὐτὸ ἄλλως δεήσεται τῶν πίσιν, καὶ τῶτο μέγχις ἀπείρου. εἰ δὲ ὑπὸ νοητῶν Ἰπικριθῆσεται δεήσει τὸ αἰσθητὸν, ἐπεὶ καὶ τῶ νοητῶ διαπεφώνηται, δεήσεται καὶ τῶτο, νοητὸν ὄν, κρίσεως τε καὶ πίστεως. πόθεν δὲ πιθωθήσεται; εἰ μὲν ὑπὸ νοητῶν, εἰς ἀπείρον ἐκπεσῆται ὁμοίως. εἰ δὲ ὑπὸ αἰσθητῶν, ἐπεὶ πρὸς μὲν τὴν πίσιν ἢ αἰσθητῶν παρελήφθη, νοητὸν πρὸς ἣ τὴν ἢ νοητῶν πίσιν αἰσθητὸν ὁ διαλληλῶς εἰσάγεται τρόπος. *Utrum igitur dijudicabilem esse dicent dissidentiam, aut indijudicabilem? Si indijudicabilem, nobis conceditur, retinendum esse assensum: sin dijudicabilem, unde dijudicabitur, querimus v. gr. Sensile-utrum a sensili, an ab intellectu dijudicabitur? Si enim a sensili- ipsum quod, altero ad confirmationem indigebit. Quod quidem si etiam fuerit sensile, rursus & ipsum alio confirmari oportebit, & hoc usque in infinitum. Quod si ab intellectu sensile dijudicari oportebit: quoniam &*
de in-

de intellectualibus controversia est, hoc quoque, cum intellectuale sit, dijudicatione & confirmatione opus habebit. Unde ergo confirmabitur? si quidem ab intellectuali, in infinitum incidet eodem pacto: si a sensili, quoniam ad confirmationem quidem sensilis assumptum est intellectuale, ad intellectualis autem confirmationem sensile: inducitur modus, qui vocatur διὰλληλ. q. d. alternatorius l. 1. Pyrrh. hypotyp. c. 15. f. 33. ed. Genev. 1621. conf. c. XVI. f. 34.

XXX. Scopum atque mentem Sexti constringemus hoc Syllogismo: Ex qua sententia sequitur, omnia debere probari circulariter, illa sententia est falsa.

Ex sententiâ dogmaticorum, scientiam dari credentium id sequitur. E.

Minorem probat, quod omne, de quo quaeritur, vel sub sensum cadat, vel sub intellectum, & quod ad sensilis confirmationem assumptum sit intellectuale, ac contra. Sed quid si proluxæ objectioni succincta responsio sufficiat? Probatio minoris hypothesei falsâ nititur, cum non omne, quod intelligitur, ex sensu probari necesse sit v. g. Deum nosse ex subordinatione causarum, principia prima credere, Sæpe sensus facultatem intelligendi invitare ad speculationem solent, sed ita ut postmodum veritas explorata non sensuum, sed iudicii comprobatione nitatur. Certe Philosopho Christiano nihil tale persuaseris, cui fides est πραγμάτων ἔλεγχος ἔβλεπομένων. Ebr. XI, 1. Imo in naturalibus multis perceptis terminis non possunt non intelligi, pessimeque Sextus negat, dari κατάληψιν ἐξ ἑαυτῶν c. 16. Si dubitat ignem urere, immittat vel sæpius digitum, nec dubitabit, præsertim quia ipse loquitur de intelligentiâ, quæ habetur διὰ τῶν πᾶθηματικῶς ὑποπιπτόντων κατ' ἐνέργειαν φαινομένων l. 2. hypotyp. c. 3. f. 53. Ergo frustra nobis objicit modum probandi diallelum in omni quaestione necessarium, adeoque nec procedere in infinitum adigimur. Rectius Scepticos ipsos vitii istius incusamus ex cl. M. Heunischii *Diss. de Scepticismo* §. 8. Reliqua, quæ responderi possent, intelliguntur ex præcedentibus.

XXXI. Tandem refutandi Pontifici essent, qui sub honesto regressuum jam vindicatorum titulo adulterinos suos circulos simplicibus obtrudunt, quos inter principem locum tenet ille, dum tradunt, Ecclesiam esse cognoscendam per Scripturam cognitione certâ & infallibili, Scripturamque rursus per Ecclesiam eadem cognitione innotescere. Sed spectat hæc messis ad Theologos, a qua falcem manumque retrahere Philosophi debent. Adeant, quibus lubet, Meisnerum


part.

part. 2. *Philos. Sobr.* p. 670-673. Hopfnerum *l. c.* Hulfemannum in *Breviario c. l.* §. XVI. Voetium *part. 5. Dissp. select.* p. 15. & 21. Rudrauffium *Theolog. Philos. Exhibit.* 3. §. 18. p. 30. Kippingium in *Exercitt. de S. Scripturâ n. XLII.* a p. 333-359. & præ aliis Franciscum Turretinum, qui circulum Calvinisticum suis a Becano, Grefero, aliisque objectum vindicaturus peculiarem Disputationem *de Circulo Pontificio* scripsit, Disputationibus *de Satisfactione Christi* subjunctam, & *Geneva 1666.* editam; nec non Rixnerum *de petitione principii contra Jesuitam Cornæum.*

XXXII. De Circulis TOPICIS s. DIALECTICIS alio tempore, DEUS vitam viresque dederit, agemus. Nunc sufficiat
TANTILLUM.

COROLLARIA.

1. Εὐτελέχεια rectè vertitur a Cicerone continua agitatio.
2. Syllogismos ab Oratore sexies translocari posse, ex Regulâ combinationis clarum est.
3. Lingva Græca Philosophis accommodatissima est.
4. Divus a Numine derivatur.
5. Modalis non differt realiter a Propositione absolutâ.
6. Nihil absurdi est, ros a prima origine spinas fuisse annatas.
7. Per Carolum M. sincerius dicitur Imperium Romanum devenisse ad Gallorum gentem. Sed ab Ottone ad hæc usque tempora Germanica Natio Imperatores dedit.
8. Materialitas non est radix mortalitatis.
9. Dantur signa signatis priora & posteriora.
10. Rectius Deus in Pneumaticis definitur Spiritus independens, quàm infinitus.
11. Non motus, sed mobilitas est affectio corporis naturalis.
12. Corpus omnino est de essentia hominis.
13. Unus idemque par numerus potest esse & pariter par, & pariter impar.
14. Societates simplices in Politicis tantùm indirectè, & propter aliud tractantur, quatenus v. g. αἰκῶν est πολιτεία συσκευασμένη.



Coll. diss. A. 3, misc. 3